

juris, nihilque Dominii aut proprietatis pro se aut suis, quorum scilicet onera in se assumpsisset, reservando, sed totum et omne jus suum, omnemque juris & Dominii proprietatem, quod & quam in praetacto Oppido, Castello ac Territorio Czirkueno, cunctisque eorum pertinentiis habuisset, aut suos, quos supra in futurum habere posse sperasset, in praememoratos Oppidanos & Incolas ipsorumque praenominatos universos transtulisset, derivando & derivasset transferendo, pleno jure et reali cum affectu. Ac insuper universas literas & litteralia instrumenta factum Oppidi, Castelli ac Territorii jam fatorum, pertinentiarumque eorundem universarum tangentium & concernentium, manibus Oppidanorum & incolarum illorum tradidisset & assignasset, prouti tradidit & assignavit, eosque tali pacto ab omnibus colonialibus Servitiis & Obligationibus eliberasset ac emancipasset, eliberavitque & emancipavit. Unde supplicatum exstitit Majestati Nostrae, pro parte mentionatorum Oppidanorum & Incolarum debita cum Instantia humillime, quatenus eosdem, in iisdem Oppido, Castello ac Territorio, universisque eorum pertinentiis, nec non privilegiis, libertatibus, juribus ac immunitatibus in se per antelatum Comitem ab Herberstein modo praevio translatis, non solum conservare, verum etiam in numerum ac ordinem reliquorum Regiorum & Liberorum Regni Nostri Hungariae partiumque ei adnexarum Oppidorum adscribere & cooptare, tituloque Regii ac Liberi Oppidi Nostri exornare, denique in peculium Nostrum ad instar Civitatis Nostrae Montis Graecensis Zagrabiensis, aliarumque Regnorum Nostrorum Croatiae & Slavoniae Civitatum recipere, eosque cunctis illarum Privilegiis ac immunitatibus frui permittere dignaremur. Quorum nos humillima Supplicatione Regia benignitate exaudita, Clementer & admissa, eosdem in praemissis omnino conservare, iisque libere uti permittere, ac per alios, quorum interest vel intererit conservari, utique permitti facere volumus. Et insuper cerae viridis in sigillando, et quavis sigilli eorum authentici, Tempellum nempe unum & turriculam cruce insignitam, haece cum circumscriptione: *Sigillum Oppidi Regii Czirkueno*, repraesentantis impressione, quo scilicet imposterum futuris semper temporibus tam ipsi, quam posteri, successoresque illorum universi, uti valeant, clementer concedimus. Et nihilominus benignum habentes respectum fidelitatis ac fidelium servitiorum & constantiae ipsorum, impraesentiarum usque, tam pacis, quam belli temporibus, Augustae Domui Nostrae Austriacae inviolabiliter conservatae, ex speciali gratia nostra volumus ac decernimus, quatenus iidem, dictique posteri & successores ipsorum, non modo Privilegiis ac immunitatibus illis per praedectarum Comitem ab Herberstein in se, eo, quo praemissum est modo translatis, sed illis quoque universis Statutis, libertatibus Juribus & Consuetudinibus, quibus alia Oppida nostra Regia, potissimum autem praetactorum Regnorum nostrorum Croatiae & Slavoniae Civitates nostrae, tam juxta Privilegia ipsis a Divis quondam Hungariae Regibus, praedecessoribus Nostris colendissimis gloriosae reminiscendae concessis, quam constitutiones & Leges eorundem Regnorum Nostrorum utuntur, fruuntur et gaudent, perpetuis semper temporibus libere uti, frui & gaudere, Judicemque & Senatum ac alios etiam Officiales, ad instar earundem Civitatum Nostrarum creare & constituere possint. Quo autem erga ipsos Oppidanos & Incolas, ob conservatam nobis praerepetitam fidem ac fidelitatem suam, Nostrae gratiae ac Clementiae adhuc uberius exstet testimonium, ad devotam & humillimam eorundem instantiam ac certorum fidelium Nostrorum, praesertim vero Supranominati Comitis ab Herberstein penes